Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31638
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uiribus applicandam, quid proprium habeat humanitas ipse profitetur: omnem hominem sciens esse mendacem. Sed uide quod hanc considerationem non facile potuit inuenire, nisi ad supernam contemplationem per excessum mentis euectus: quando anima corporea sorde purgata, causas rerum manifestis speculationibus intuetur. Magna siquidem prudentia geritur, ut sic aliquis imprudens esse uideatur. Nam sicut leues ac fatui prudentes se estimant, ita prudentes stultos se esse cognoscunt. Quapropter hec nos regula certa constringat, ut quando carnis fragilitate mendaces sumus, nos esse fateamur: quando ueraces diuinis muneribus applicemus. Hec autem sententia pertinet ad figuram parœmiam: quoniam hoc prouerbium humani sermonis frequentatione celebratur. Tale est illud quod in actibus apostolorum Saulo dictum est: Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Reuera durum: quando suis nisibus percutitur, qui in acutum calcem se lesisse monstratur. Notandum uero quod excessus mentis et in malo ponitur: sicut est in paralipomenon: Et dedisti eos in extasi, id est in excessu mentis, et in commotione et in interitu. Quid retribuam domino: pro omnibus que retribuit mihi. Bene dubitauit quid retribuere posset humanitas, que bonum proprium nil habebat. Nam cum dicit quid, hesitatio magna monstratur. Quid enim illi ab homine potest reddi, cum semper ei nos constet munere contineri? Merito ergo dubitabat, cui dignum de suo nichil occurrebat. Uerum ne omnino redderetur sterilis, confisus in misericordiam domini, quid retribuat subsequenter exponit. Sed illud est magnopere perquirendum quod dicitur dominum nobis retribuisse que contulit: quasi boni aliquid ei prius dederimus, et sic ab ipso collata susceperimus. Cum apostolus clamet: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Sed

retribuere dicimus, quando et bonis bona reddimus, et malis bona prestamus. Dominus enim retribuit nobis bonum pro malo, ut quod predicauit uerbo, monstraret exemplo. Ille enim alapis cesus, ille iudici traditus, ille flagellis inmeritis uerberatus: nobis resurrectionis spem tribuit, et celorum regna promisit. Calicem salutaris accipiam: et nomen domini inuocabo. Digna quidem promissio: sed si in humanis uiribus ponatur, periculosa presumptio. Quis enim potest confessoribus tormentorum patientiam dare, nisi ille qui pro nobis dignatus est calicem passionis accipere? Nam ut hoc impossibile humane uirtuti absolute monstraret, secutus est: Et nomen domini inuocabo: cuius fretus auxilio credebat se complere, cui carneam fragilitatem non putabat posse sufficere. Pulcherrimo uerbo ac breuiter definita est martyrum mors. Calix salutaris. Calix quia sub mensura bibitur: salutaris, quia in eternam salutem domino propinatur prestante. De isto calice dixit et dominus in euangelio: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Preciosa in conspectu domini: mors sanctorum eius. Bene dicitur preciosa, que domini sanguine noscitur comparata. Illius enim passione glorificata est, ut in conspectu eius esset eximia. Hanc enim cognoscimus dominum famulis suis magna gratie ubertate conferre, quam ipse dignatus est assumere. O mors uitalis, o interitus ambiendus, o transitus gloriosus: qui membra Christi imitatores sui capitis facis. Et ut sit preciosa, non diuitiis oblatis efficitur, sed effusione sanguinis comparatur. O domine quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, et filius ancille tue. Dirupisti uincula mea. Uenit ad positionem secundam, ubi munere singulari suscepto exclamat dicens: O domine ego seruus tuus. Admiratur enim se talia beneficia suscepisse, qualia se ipse pre receptione mundi dignatus est assumere.